

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0602

Giovedì 06.08.2015

Lettera del Santo Padre al Legato Pontificio per la celebrazione del V centenario dell'evangelizzazione della Repubblica Democratica del Timor Orientale (Díli, 15 agosto 2015)

In data 25 luglio 2015, è stata pubblicata la nomina dell'Em.mo Card. Pietro Parolin, Segretario di Stato, come Legato Pontificio per la celebrazione del V centenario dell'evangelizzazione della Repubblica Democratica del Timor Orientale, in programma a Díli il 15 agosto 2015.

Il Legato Pontificio sarà accompagnato da una Missione composta dai seguenti ecclesiastici:

- Don Ludgério da Silva, Cancelliere della Diocesi di Díli;
- P. Gabriel Suban, S.V.D., Vicario per gli affari sociali della diocesi di Díli.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre al Card. Pietro Parolin, Segretario di Stato:

Lettera del Santo Padre

*Venerabili Fratri Nostro
PETRO S.R.E. Cardinali PAROLIN
Secretario Status*

Quinta iam appetit saecularia memoria ex quo tempore ad Timoriae Orientalis loca Evangelii nuntius allatus est Dominique salutaria beneficia gentibus illis praeberi coepta sunt, sollertibus operantibus missionariis, qui in gentes studio incensi, innumeris superatis difficultatibus, animose longum iter quondam susceperunt et ad oras illas appulerunt salubre opportunumque auxilium frequentibus ibidem incolis laturo.

Admodum ideo aequum est et convenit ut eventus hic congruenter commemoretur et optimo iure extollatur. Celebratio enim haec copiam dat et facultatem non huius rei dumtaxat memoriam repetendi, verum homines ad ferventiorum religionis sensum, firmiorem fidem certioraque proposita, pristinis illis instantibus probandis

exemplis, permovendi.

Divina igitur suffragante gratia, proximo mense Augusto, Dili sollemnis erit a primaeva illa evangelizatione quingentesima anniversaria commemoratio, ut ager hic dominicus, inde fere sumens vim, uberiores fructus fundat ac laetiores dies pacis prosperitatisque communi de industria experiatur.

Quocirca Timorensis Episcoporum Conferentiae postulatis libenter subvenientes, ut ritus ille elatius evolvatur et luculentius, ad te, Venerabilis Frater Noster, cogitationem convertimus et tu, quocum cotidiana consilia communicare consuevimus, idoneus occurris qui eventui illi intersis personamque inibi Nostram geras. Itaque permagna moti affectione, te, Venerabilis Frater Noster, **Legatum Nostrum** renuntiamus et constituimus ad celebrationem quintae centenariae memoriae evangelizationis Timoriae Orientalis, die XV proximi mensis Augusti Dili agendam.

Universis igitur participibus fidelibusque inibi cunctis voluntatem Nostram benignam ostendes, cum quamvis longo spatio separemur adsimus spiritu praesentes. Omnibus Nostro nomine auctoritateque Benedictionem Apostolicam impertias volumus, quae, benigna opitulante Beata Virgine Maria in caelum Assumpta, sit animorum renovationis signum et futuro de tempore supernarum gratiarum documentum, dum preces petimus ut Petrinum ministerium efficaciter gerere possimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXIII mensis Iulii, anno MMXV pontificatus Nostri tertio.

FRANCISCUS

[01301-LA.01] [Testo originale: Latino]
